



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Dedicatoria Editionis Hispanicæ, Maiestati Catholicæ Sereniss: Reginæ  
Hispaniarum D. Mariæ Annæ Austriacæ, Dominæ Nostræ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

DEDICATORIA EDITIONIS HISPANICÆ,

MAIESTATI CATHOLICÆ  
SERENISS: REGINÆ HISPANIARUM  
D. MARIÆ ANNÆ AUSTRIACÆ,  
DOMINÆ NOSTRÆ.

**S**istit se REGIÆ MAIESTATI TUÆ  
CATHOLICÆ, prima Pars Vitæ Vene-  
rabilis Virginis MARINÆ de Escobar,  
certa, non defuturum sibi patrociniū  
TUÆ MAIESTATIS, cujus non mi-  
nūs Pietas floret ac Religio, quàm in admirationem  
rapiant vasta & ampla Regna, ac Monarchia. Dispo-  
suit illam Venerabilis P. Ludovicus de Ponte, Socie-  
tatis JESU, quem spatio triginta annorum, hæc Illu-  
stris Virgo, ex speciali DEI Providentia, habuit arbi-  
trum conscientiæ, ut, quæ tot à liberali ipsius manu  
erat cumulata gratijs, neque istâ careret, haberétque  
Magistrum, & Historicum, Virum adeò in Orbe no-  
minatū, ab admirandis suis scriptis, multòq; ampliùs  
ab heroica sua virtute, ac sanctitate, de cujus hodièq;  
agitur beatificatione; ut autoritas tam celebris, à vir-  
tute & scientia, Viri, conciliaret fidem insolitis donis,  
quæ ipsi à DEO collata fuerunt, & recensentur in illius  
Vita, sūntq; ejusmodi, ut meritò certare possint cum  
summis, quorum præteritis sæculis sunt factæ com-  
potes aliæ illustres Virgines, quas jam Ecclesia vene-  
ratur in numero Sanctarum. Historia, Vitam refe-  
rens talis Virginis, à tali scripta Authore, nec aliam  
quærere tutelam, quàm TUAM, neq; non esse grata  
potest oculis TUÆ MAIESTATIS, quæ utriusq; est DO-  
MINA, cūm utriq; Patria fuerit Vallisoletum, ubi cum  
singulari sanctitatis fama vixerunt, & obiverunt. Ac  
proinde audeo illam deponere ad REGIOS TUÆ MA-  
IESTATIS pedes, & committere favori ac protectioni  
ejusdem

eiusdem Regij patrocini; non meo nomine, id enim non auderē, sed Authoris, & Provinciæ Castellanae, cujus Illustris filius fuit Venerabilis P. Ludovicus de Ponte. Quantūvis enim sit opus posthumū, possum tamen præsumere, ipsum, qualem se vivens exhibuit *Catholico Regi* PHILIPPO III. Domino Nostro, piæ & gloriosæ memoriæ, Avo Tuæ MAIESTATIS, cui dedicavit libros, quos pro instructione cujusvis hominum. statū scripsit, ut hoc obsequio gratitudinis vicem rependeret tantis beneficijs, quibus illi obstricta erat nostra minima Societas JESU, talem etiamnum se exhibiturum, si viveret. Tuæ MAIESTATI, iisdē de causis, dedicando illi Historiā hujus Venerab: Virginis. Unde ejus nomine offero Tuæ MAIESTATI, hoc postremum ipsius opus, ut ex illius lectione TUA MAIESTAS nanciscatur occasionem, laudandi DEUM, eique gratias agendi, quòd non minùs hoc seculo, quàm præterlapsis, illustraverit Regna Hispaniarū, & Tuæ MAIESTATIS Monarchiam. Personis, virtute præstantibus, sibiq; dilectis; unaque TUA MAIESTAS confidat, fore, ut infinita ipsius Bonitas continuet eundem favorem, unum è multis & magnis, quos præstitit nostræ Hispaniæ, reddendo hac ratione securiorem Regnorum Tuæ MAIESTATIS, Regiæque successione, conservationem, prosperis suffultā successibus, quos ejusdem subditi exoptamus. DEUS REGIAM TUAM MAIESTATEM Catholicam conservet in vita Magni nostri MONARCHÆ ac Domini, ad multos & felices annos, quo opus habent hæc Regna, & Ecclesia. Vallisoletū, 25. Octobris, Anno 1664.

TUÆ MAIESTATIS CATHOLICÆ  
*Minimus Servus & Vasallus*  
FRANCISCVS CACHUPIN.